




MS R



1721  
S. sc.

1. Sam: Huber, Sonderbriefe und  
antwortschafft auf d. Jac: Heil.  
Brunner Sonderbrief. 1597.
2. ejur dem Sonderbrief an die  
Part Züsch. 1597.
3. Jac: Heilbrunner Sonderbrief  
an Sam: Hubern. 1597
4. ejur dem, offizibluff vnt fuld,  
zunig vnd vor Sam: Hubern.

**E X P L I C A T I O**  
**E T C O N F Y T A T I O C A L-**  
**V I N I A N I E T F R A V D V .**  
**L E N T I S S I M I D I A-**  
**G R A M M A T I S .**

**D e Controuersia in cœ-**  
**n a Dominica,**

**S V B I V N G T V M E S T E I E X O P .**  
**P O S I T O L V T H E R A N V M**  
**D I A G R A M M A .**


**Samuel Huberus, D.**

**2. Cor. 11.**

*Nam eiusmodi Pseudapostoli, (ut sunt Calvinistæ) operarij dolosi sunt,  
transformati in Apostolos Christi. Et non mirum: Ipse enim  
Satanas transformatur in Angelum lucis. Non ma-  
gnum igitur si Ministri illius personam in se  
transferunt, quasi sint Ministri iustitiae.  
Quorum finis erit iuxta  
opera eorum.*

**V R S E L L I S ,**  
**Excudebat Nicolaus Henricus**  
**Anno 1599.**





## Ad Lectorem.

D I A G R A M M A à quodam versuto Caluinista in aliquorum  
teritur manibus, insidiosè compositum ad inescandum sim-  
pliciores: quanquam quòd sciam Typis non sit excusum. Ut  
id confutarem, operæ pretium duxi. Confutandi autem vna &  
maxima est ratio, vt insidiæ sectæ huius aperiantur, quibus utitur in  
obscurando statu controuersiæ: ibi enim Basiliisci in suas speluncas  
potissimum struunt. Boni consule Lector, & aduigila-  
tu quoque, ne iste Antichristus magnæ Apo-  
stasiæ & vltimæ atq; in Occidente  
dominaturæ, nos obruat.

Vale 1598, 12. Decembris.

Samuel Huberus Dz

A 2

Diagramm

## DIAGRAMMA CALVIE NIANVM.

Christus, qui est omnipotens & ipsa veritas dixit:  
**HOC EST CORPVS MEVM.**

Corpus meum pro- Ergo Verum non signifi- Ab utraq; parte  
dibus traditur. ficiatum: conceditur.  
Instantia. At verum Corpus: quia pro nobis traditum.  
At traditum visibile, tangibile, non Marcioniticum, non Ubiquitisticum.

### MODVS.

Corporaliter:  
Ore:  
Intra nostra corpora:  
Inuisibiliter, supernat:  
Hoc simpliciter credendum, & modus  
Deo concedendus.

Obi. At nostra fides nititur promissiones.  
Hic nulla promissio. Ergo nulla fides.  
Sed opinio & phantasia humani cerebri.  
Ergo haec doctrina vana, ficta & falsa.

Spiritualiter:  
Fide:  
Corde & Anima:  
Hoc testantur sacræ litteræ:

Obi. At hoc Zwinglianum, ex Calvianum.  
Imo Christianum, qui habemus certam  
promissionem: per fidem Christus in-  
habitat in cordibus nostris.

### AQVIBVS.

Pijs &  
impijs,

ad vitam:  
ad iudicium:

Solis fidelibus:  
quia  
ipsis Christus promissus est, Testa-  
ram: Ergo bona hereditas.

Obi. At Christus iubet omnes acciperet.  
Ergo omnes debent accipere.

Resp: Christus requirit ab omnibus fidem & poenitentiam: Ergo omnes agunt poenitentiam & credunt.

Contrarium docet Scriptura & testatur experientia.

Deberent quidem omnes agere poenitentiam, & credere. Sed, &c.

Quare, si non volumus errare, contineamus nos intra cancellos verbi Divini.

**E X P L I C A T I O**  
ET CONFUTATIO HVIVS  
DIAGRAMMATIS.

**Christus qui est omnipotens:  
& ipsa Veritas dixit:**

**S**ARCASMVS est Scpticus Caluinistæ, contra illa  
fundamenta nostra, quibus Sectæ huius oppugnamus  
blasphemias. Induit iam Diabolus, vt Christo & no-  
bis illudat per Ironiam & Sarcastum illa ipsa arma,  
tanquam pro se potius quam pro nobis militantia.

Hanc impudentissimam libidinem recte appellat Paulus Spiritua-  
lia malitia in Celestibus, Ephes. 6.

Prædicamus autem, & coniungimus etiam simul omnipotentiam  
& veritatem Christi in Sacramenti huius Institutione, vt sciamus  
simpliciter esse credendum & adhærendum verbo testatoris: utpo-  
te, ubi promittenti nec veritas in promittendo, nec potentia in  
præstando, deest. Hic stamus & pugnamus contra omnes Sacra-  
mentarios.

Caluiniani contrà in Christo utrumq; negant, & palam hoc,  
quod negant demonstrant, dum suam, ad ingenij humani captum  
& lubitum, excogitata glossam, testamento testatoris ingerunt:  
Nunquam id facturi, si in testatore veritatem & omnipotentiam  
verè agnoscerent.

**Hoc est Corpus meum:**

**V**Oculā HOC complexum continet rei visibilis & cœle-  
stis & terrestris. Nam Christus accipiens panē fregit, bene-  
dixit, & dixit, Accipite & comedite, hoc est Corpus meum.

A 3;

Hypotes-

το αργήτωσεν ergo, HOC EST CORPVS MEVM; acciā  
piendum est, & exhibitio est huius rei, de qua testatoris Verbum  
prædicat, & insuper non mutilè sed integrè: adeò ut demonstra-  
tiuum HOC, æquè præbeat corpus atq; panem, & vtrumq; in  
eadem rei exhibitæ præsentia. Ideoq; etiam illud quod per HOC  
prædicatur, indiuisè in suo íntegro complexo editur.

## Corpus meum pro vo- bis traditum.

Rectè hoc. Vbi impostor etiam intelligere debeat, cùm corpus  
illud sit pro omnibus traditum, i. ad Tim. 2. Rom. 8. Quòd etiam  
omnibus in Sacramenti huius exhibitione distribuatur.

Ad imposturam autem pertinet, quòd præceptum de Edendo &  
Bibendo penitus omittit: Nam sic eò commodius inanem suam  
repræsentationem corporis Christi introducere potest.

## Ergo: Verum Corpus & non Significatium.

Hoc nos concedimus. Impostor autem voce (Significatium)  
insignem fabricat fraudem ad corrumpendum statum controuer-  
siae. Nam simulat rejici à se Zuinglianum illud SIGNIFICAT:  
quapropter imperitis persuadere conatur, quasi controuersia hic  
amplius nulla supersit: negat itaq; esse significatium, corpus in  
cœna.

Aliud autem est de voce SIGNICAT contendere, & aliud de  
corpore significatio. Significatium enim idem sonat quod ty-  
picum. Nunquam autem aduersarios accusauimus de corpore ty-  
pico, quod in cœna tale statuant, & quod significare debeat corpus  
aliud incarnandū & passurum. De hoc, inquam, nulla mota est  
contro-

### CALVIN. DIAGRAM.

controuersia. Sed de Zuingliana expositione in copula E S T , per modū significandi, est controuersia, vbi ita eam explicant, Hoc est corpus meum, id est, hoc significat corpus meum, atq; addūt simul, significari absentissimū in remotissimis cœlis corpus Christi . Hac testamēti Iesu Christi corruptione, Christum submouerunt cœna, & relegarunt in supremi cuiusdam cœli habitaculum, vbi à nobis speculando & cogitando, & in Sacramento significatione Symbolorum tantum considerandus sit. Istud SIGNIFICAT , fundamentum omnium blasphemiarū contra testamentum Iesu Christi filij Dei retinet Author iste sibi cum socijs suis commune : aut si damnet, non debeat his vti strophis , sed disertè illam Zuinglij blasphemiam manifestare & explodere.

Nam hic status semper fuit, & adhuc est in certamine Sacramentario : Nam Christi corpus in cœna verè distribuatur vescientibus, Status con- an verò absens significetur tātūm typo & simbolo panis ? Aut quod trouersia idem est: Num in cœna tātūm sit corpus Christi significatum sim- bolo , & sui existentia absens ? An verò adsit & distribuatur reali præsentia vescientibus pane fracto seu distributo ? Eadem ratio est de poculo & sanguine Christi .

Addendum insuper etiam hoc: Si maximè significatiuum seu typicum quoddam corpus in cœna , hic autor videatur auersari: Constat tamen quòd præcipui Ecclesiæ illius Doctores corpus Christi in phantasticum aliud vereq; Marcioniticum , & in proprium aliud distinxerint . De quo vide verba illorum in Clangoribus meis editis contra Bezam, clang. 2. Atq; ita neq; hac in parte nobis sum Marcionitis Caluinianis conuenit.

### Ab vtraq; parte con- ceditur.

**I**N multis quoad cœnam D O M I N I C A M generalia que sunt , conuenit: At in hoc, vbi propria est sedes controv- ersia , quam iste veteratoriâ fraude omisit, summa semper est

est dissensio. Figmento itaq; deludit simpliciores de consensu quem collocat in ludibrium suum corrupti status.

**I**nstantia: At verum corpus,  
quia pro nobis traditum.

At traditum, visible,  
tangibile, non Mar-  
cioniticum, non v=   
biquisticum,

**I.** PER hanc instantiam suum iam aperit dolum. Quapropter  
hic obseruandum: I. Quod concedamus, corpus Christi pro  
nobis traditum, esse verum corpus, & non Marcioniticum.

Marcioniticum enim idem est quod apparet corpus κατὰ φαντα-  
σίας: Sicuti constat tale corpus à Marcione Hæretico attributum  
Christo. Ideoq; Marcioniticum opponitur corpori vero: Et hoc  
conceditur: illud verò improbat.

**II.** Deinde veritas corporis dominici in se considerati habet pro-  
prietatem hanc verè, ut sit visible & tangibile. Nam iterum hoc  
opponitur corpori phantastico.

**III.** Tertiò, Hoc verò iam tenendum est quoq;, illud corpus habere  
à Diuinitate communicatas sibi proprietates, & in throno sedere  
omnipotentiæ, iuxta quas illud, quod in se manet verum corpus in  
omnia sæcula, mundi tamen elementa longè lateq; superat. Unita  
enim est caro τὸ λόγον per quem conditi sunt χρόνοι ηγετοὶ &  
vniuersa sæcula, imo etiam propositum sæculorum. Col. 1. v. 16.

Non ergo creator horum illis est obnoxius, nec à creatis suis ca-  
ptiuus tenetur, ut non supra & extrà illa omnia regnet, nec se illi-  
gauit, ut humanam naturam in yunionem personæ assumtam, iuxta  
Diu-

Diuinitatis suæ potentiam nō possit glorificare aut exemptam à Sæculi huius legibus non possit sistere vbi cunq; vult, & idcirco etiam dare corpus inuisibiliter: licet in se sit illud ipsum visibile. Sunt enim condita per eum visibilia & inuisibilia, Col. 1. Maius insuper hoc est & potentius quàm regulæ mundi fecre possint, quod Logos qui incommutabilis in sua natura manet, factus (factus inquam.) tamen est caro: vbi illud, ἐγένετο indubitatam habet certitudinem, carnem hanc diuina virtute semper esse repletam & efficacem.

Ille ipse enim, qui manet Deus laudandus in secula (Rom. 9. v. 5<sup>o</sup>) factus est caro, & idcirco de homine isto nato ex Maria Virgine dicimus prædicatione vera & propria (licet inusitata in rebus mundi,) quod sit Deus. Infinitum factum est caro, & non desit tamen esse infinitum, neq; finitum quod à Logo assumptum est, cæpit fieri infinitum. Nihil hic factum est ut desineret esse id quod prius erat, sed ut id quod iam siebat & assumebat Logos, à Logo æterno extolleretur in thronum Dei, humanitate nimirum assumpta in Deum.

Respicientes itaq; hanc Vnionem Hypostaticam propter quam hoc corpus sedet in throno Dei, non est Marcioniticum, statuere & credere quod Christus verum suum corpus det in cœna: Sicut etiam Euangelistæ non Marcioniticum tradebant corpus, cùm docebant, quod ambularit in aqua, quod ascenderit in sublime, quod ingressum sit ad Apostolos; & quod factum sit inuisibile, Luc. 24.

Neq; est Vbiquisticum: quo rei & verborum portento illud Ecclesia nostra affingunt, quasi corpus tradamus tale, quod omnibus suis amissis & abiectis proprietatibus cum extensione quadam diffundatur in omnia cœli & terræ loca. Bestiæ illæ nec quid Deus nec quid unio personalis sit, intelligunt. Quo sit, ut Christum Deum esse nolint prius credere, quàm Maiestatis ipsius opera redaxerint ad regulas has mundi, eamq; humanæ rationis arbitrio & dominio penitus subiecerint. Et ne sic quidem Deum agnoscent, sed potius contrarium moluntur, ne Deum agnoscere cogantur.

Quartò. Iam manifestum, dum Corpus Christi non credit hic Autor in cœna esse, nisi Marcioniticè adsit, quod absentiam eius statuat, significationemq; approbet Zuinglianam, quam tamen miribili artificio occultare, & eo modo per fraudem ad similitudinem nostræ confessionis clam adrepere seu accedere voluit.



**Quintò.** Cum Logos sit factus caro, in qua omnis Dei plenitudo habitat corporaliter, Col. 2. Nullum agnoscimus Logon, nisi ubi etiam sit corpus, quia nolumus deuidere Logon in partem aliquam insīa & seorsim existentem, & sic separatum à carne, & in partem aliam suprà cum carne coniunctum.

Nam Logos quantus quantus est, (nullam habet diuisionem & dimensionem:) factus est caro, neq; vñquam ullum inter Diuinatatem & carnem eius intervenire potest locorum & temporum interstitium.

Sequitur ergò dari nobis corpus Verum in Cœna & non Mæcianiticum.

## Modus.

**Q**uasi de Corporis præsentia conueniat, iam subiungit controvërsiam de modo sumptionis. At si in confessione præsentia esset consensio, nulla opus esset demonstratione de duplice modo ostendendo: nulla enim ibi esset controvërsia.

Nam si absit corpus Christi, vltro sequitur absentiam eius symbolice adumbrari, & mente tantum seu imaginatione considerari: quod appellant fidem & spiritualem sumptionem: Vicissim si adsit, necesse est eius præsentiam cum symbolis exhiberi, & cū symbolis accipi. Non ergo in modo Sumptionis sedes est controvërsia, sed in ipfa dissensione de corporis vel absensis vel præsentis veritate.

## DE LVTHERANIS.

### Corporaliter.

**I**ta. Et opponitur (corporaliter,) fraudulentæ Spiritualitatis quam Aduersarij fingunt, vt veritatem rei auferant. Et licet vocula hæc positiuè sumpta asperè sonet: attamen oppositiuè ad dia-  
lucendas Aduersariorum fraudes, omitti non potest,

Nam

Nam opponitur sicut *τὸ δύνατον* reuera existens & præsens, *τὸ φανταζομένων*, quod imaginatione tantum præsens fingitur menti:

## Ore.

**I**ta: Ore autem accipi dicimus, quia panis & corpus vnum faciunt HOC, quod Christus dedit comedendum, vt sciamus panem non esse absq; corpore, & corpus non accipi in cœna absq; pane. Quapropter opponitur versuto ludibrio de sumtione corporis, corde & anima, vbi Aduersarij exclusa prius rei veritate, postea quasi non exclusissent, rei absentis substituunt imaginationem in anima, vt cùm per cogitationem & imaginationem præsentem animo meo facio Iulium Cæsarem, Alexandrum Magnum, &c.

## Intra nostra corpora.

**S**atis erat cùm dixisset, ORE: Hoc autem adiicit Sycophanta, vt suspicionem iniciat de corporis Dominici in stomacho nostro digestione & concoctione, vt per hanc calumniam inuisam reddat confessionem nostram. Constat autem adhuc, quomodo Beza fuerit confusus Mumpelgardii in obsecro isto conuitio.

## Inuisibiliter.

Verum.

## Et super naturaliter.

**V**erum etiam hoc, & opponitur Capernaiticæ voracitati, & vendicat Christum suum operantem mysterium, non modo huius seculi consueto, sed in vniione hypostatica & modo cœlesti.

B 2

Hoc

# Hoc simpliciter credendum & modus Deo com- mittendus.

**R**ECEDE hoc de modi executione, qui Deo supra, extra, atq; con-  
tra naturæ nostræ captum per imperuestigabilem sapientiam  
atq; potentiam operanti, committendus est.

Cæterum quoad modum dationis, ut fides habeat suum obiectū,  
illum Christus satis patefecit, ut infra indicabitur. Simpliciter  
autem ideo credendum; quia fides in suo correlato nihil habet, nī  
purum & obrijzum illud aurum verbum Dei, quod secum affert  
donata & legata à Deo, & spitat simul ex se per spiritum Sāctum,  
veritatem & omnipotentiam. Huic verbo nihil finit fides adimi-  
neq; etiam assui. Correlato enim suo vitiato vel corrupto, iam fi-  
des amplius fides non est, necnon quo magis eius attenuatur obie-  
ctum, ut nostræ quadret rationi, eò minus sit fides. Manet enim  
hæc ut sit ἐπόσατος eorum, quæ non videntur, sed iuxta verbum  
simpliciter creduntur: sicut Maria dicebat ad Angelum nuntian-  
tem impossibilia secundum mundum: Ecce ancilla Domini fiat  
mihi secundum verbum tuum. Luc. 1.

Hebr. 11:1

## Obiectio: At nostra fides nititur promissione.

**O**biectio hæc à Calvinianis confessioni nostræ opposita non  
tollit fundamenta nostra, sed stabilit. Promissio est legatum  
vel bonum illud in testamento Iesu Christi his verbis nuncu-  
patum: Accepit panem, dedit eis & dixit, Accipite comedite, hoc  
est corpus meum. Hanc promissionem aspicit fides. Et ideo est fi-  
des

des, quia promissionem habet ex Deo in verbo, & talem promissionem, quæ sua plenitudo suæq; dispensationis ratione, omnem sapientiæ nostræ superat, imo calcat captum & intelligentiam. Quapropter nutritur fides & tantum in illo promissione verbo, & ca omnino & surda ad omnia mundi impossibilia

Hic nulla promissio. Ergo nulla fides sed opinio & phantasia humani cerebri. Ergo hæc doctrina ficta & falsa.

**O**bserua hic probè, non consequens, sed antecedens in isto Enthymemate, esse ab Aduersarijs probandum. Diaboli autem est sibilus per collum Calvinistæ huius, negare promissionem corporis & sanguinis Christi in cœna. Suprà enim demonstrata est promissio, legatum nimirum huius testamenti. Cur non potius negat ullum unquam à Christo conditum esse testamentum? Eadem enim fronte, Eadem conscientia, eademq; audacia id facere potuisset.

Vanam itaq; & falsam appellat hanc doctrinam, non quòd fides nostra careat promissione corporis & sanguinis Christi in testamento: sed quia furiosus in neganda Christi Iesu veritate & omnipotētia, ipsam promissionem de nihilo habet.

Quod si autem antecedens esset verum, iam per bonam consequiam efficeretur omnino, nostram fidem nullam esse.

Atq; hoc ipsum contingit Calvinistis, qui verbum testatoris testamento expungunt & sui cerebriphantiam, quæ nihil nisi defecatio est à Deo, & rebellio aduersus Deum in illud sanctuarium Dei ingerunt, cui etiam credunt: atq; iam in illis recumbit, quòd ad nullam

nullam habeant fidem. Et sicut opinionem tantum & flatum habent cordis sui, cui credunt, Ita etiam vitam & salutem in eo & per id nullam participant. Datur enim Spiritus Dei spirans Vitam, per prædicationem verbi, quod solum etiam est constitutum ut sit obiectum fidei, apportans nobis Christum in æterna & vitali luce. Vnde auditus fidei appellatur tota salutis nostræ ratio, Gal. 3. v. 5.

Non ergo, in nos tantum conuictum hoc iaculatur, sed in ipsum filium Dei qui extra & contra phantasiam hominis, isthac ita instituit. Irridet deniq; omnes hos qui simpliciter verbo testatoris credunt, & credunt fieri, quod dixit, omnipotentissima eius potestia & veritate. Et hoc propriè est agere Calvinistam.

## A quibus.

**H**ic respondendum erat. Ab omnibus accipi; quia accipiendo Homines edunt & bibunt id ipsum, quod sumto pane & sumto poculo edere & bibere iussit & instituit Christus in cœna.

Non enim cœna in sua substantia variatur, ut alij aliud accipient edant & bibant, si maximè ipsi sumentes respectu fidei & incredulitatis sint alij atq; alij.

Nec conuiuæ ad complementum perfectionemq; substantiaz in cœna aliquid secum afferunt, sed sumunt id, quod cœna est Domini, ex munificentia & instituto Domini.

Accipiunt itaq; omnes unam eandemq; cœnam, unum eundemque cibum & potum. Quapropter ad omnes universaliter unum de eadem re extéditur præceptum: Accipite comedite, hoc est corpus meum. Concluditur deniq; cum unum idemq; omnibus detur, & omnes accipient illud ipsum, quod accipitur accepto pane, quod omnes accipient corpus Christi.

## Ap[i]js ad Vi-

Non

## tam.

**N**on quod solis aliquibus instituta sit cœna ad vitam, aut quod corpus Christi aliquibus duntaxat sit traditum ad vitam: sed traditum ad vitam: sed quod eo, quod pro omnibus est traditum, & in cœna sumentibus panem omnibus distribuitur, soli illi ad vitam fruuntur, qui credunt, atq; sic soli vitæ fiunt participes ut in Christo viuant: nam per fidem viuunt in eo, quem sumserunt. Quo sit, ut his solis sit cœna efficax ad vitam.

## Ab impijs ad iudicium.

**N**on ex aliqua prædestinatione instituentis, aut ex uī corporis Dominici, in sua propria & nativa efficacitate: sed quia non dijudicant corpus Christi, 1. Cor. 11. Vnde sibi iudicium confiscunt. Conculcant enim incredulitate sua sanguinem testamenti & afficiunt contumelia Spiritum Sanctum, Heb. 10..

## Obiectio: At Christus iubet omnes accipere: Ergo omnes debent accipere.

**E**st bona obiectio, & firmam habet consequiam à relatione inter Dominum & Seruum, imo inter Redemptorem & peccatorem.

Occultat autem nequam ille obiectionem planiorem, quæ ita sonare debeat: Omnibus vescientibus in cœna dat Christus corpus suum: Ergo omnes vescentes illud accipiunt. Hoc nos statuimus, & idcirco constantissimè credimus, quod indifferenter, omnes vescentes in cœna accipient corpus Christi.

Respg

**R**esp: Christus requirit ab omnibus fidem & pœnitentiam: Ergo omnes agunt pœnitentiam et credunt, Contrarium docet scriptura et testatur experientia: Debet quidem omnes credere, sed non omnes credunt.

**O**bjectionem anteà positam per hanc dili re conatur instantiam. Erat autem instantia, ut conformis esset obiectio, ita instruenda: Christus requirit ab omnibus fidem & pœnitentiam: Ergo omnes pœnitentiam agere & credere debent. Hanc consequētiā concedimus, sed fecit desultorius hic spiritus aliam consequētiā, vt videre est in textu, quapropter objectionem nullo labore factauit apice.

Porrò quodd non omnes pœnitentiam agant & credant, certum est. Licet autem non credant: non tamen incredulitas hominum fidem Dei irritam facit, Rom. 3. Item: Deus manet fidelis & se ipsum negare non potest, 2. Tim. 2.

**P**resentia  
**C**hristi.  
Quapropter non sic concludere licet: Impij in sumtione cœnæ non credunt: Ergo non sumunt corpus Christi. Veritas enim prætentia corporis Dominici, non consistit in hominum fide, sed in incommutabili, & inuariabili, atq; sacro sancto instituto testatoris & promisso, atq; adeò in ipsius testatoris DIXIT: quod ad nullam

Nullam sumentium conditionem, quæ testato aliquid perfectionis aut complementi addere debeat, relatum est. Non enim conditiona-  
lē fundamento & incerto substantia Sacramenti est imposita, sed  
absolutæ, in se consummatæ, & invariabili institutioni, idq; in N.B.  
hunc finem, ut certa esse possit sanctio, & verus reatus cadat in eos,  
qui indignè accipiunt.

Similitudo præcepti de agenda pœnitentia huc vlt̄a quadrare  
non potest, quām quod vtrinq; aliquid iubetur fieri, ibi accipere  
& comedere, hic verò pœnitētiam agere: atq; vtrinq; hoc quidem  
fieri potest, vt non omnes id, quod Christus accepit & edendum  
dedit, edant, & vt non omnes etiam pœnitentiam agant: aliud est  
autem & contrarium omnino, cùm id sumitur, quod sumere iussit  
Christus, & ea ratione edendo obedientia præstatur, in non præ-  
stanta autem pœnitentia desideratur obedientia, & non sit quod  
fieri iussit Deus. In cœna, cùm iubetur homo sumere quod datur,  
tum illud ipsum accipit quando datur, & quod debuit sumendo fa-  
cere, id fecit, & accepit quod Christus dedit.

Breuiter, præceptum Christi in cœna dirigitur ad obedientiam e-  
dendi & bibendi, & non ad faciendum, vt edendo & bibendo cor-  
pus & sanguis Christi adsint. Vnde fit, vt incredulitas substantiæ  
Sacramenti, in qua continentur corpus et sanguis Christi, nihil de-  
cerpat. Obstringuntur itaq; impij reatu inobedientiæ, si non acce-  
dant, vt edant et bibant, quod edendum et bibendum porrigitur:  
nullus autem reatus, quod incredulitate substatiæ cœnæ vel eu-  
cuarint, vel euacuare possint.

Quapropter Aduersarius si non esset impostor, similitudinem  
suam ita proponere debebat, vt diceret: Sicut omnes debebant pœ-  
nitentiam agere, nec tamen fit, atq; idcirco sequitur, pœnitentiam  
nunquam actu esse Vniuersalem in omnibus: ita omnes ho-  
debebant efficere per fidem, vt daretur corpus Christi in  
non omnes credunt. Ergo corpus Christi non omnibus datur. Quis  
vero cruditatem similitudinis, si dilucidè proponatur, non videret?  
Fides enim non est actus et causa ex homine ad dandum, sed actus  
Spiritus Sancti per Verbum ad fruendum dato. Nec ideo datur,  
quia sumitur corpus Christi: sed ideo sumitur quia datur, & idcirco  
opus est, vt ordine causarum datio præcedat sumptionem. Sicut le-

gimus in verbo ~~oena~~ hunc ordinem: Christus accepit panem,  
**FREGIT ET DEDIT EIS.** Et dans dixit: **ACCIPITE COMEDITE HOC EST CORPVS M<sup>E</sup>V<sup>M</sup>.** Dabat itaq; omnibus vnum atq; idem nempe corpus suum, & postea accipiebant apostoli illud ipsum quod dabatur. Nec faciebant datum sumendo (sicuti etiam ut id ficerent iussi non erant) sed accipiebant datum, & nisi prius in ipsa datione praefato fuisset, non accepturi fuissent. Satis de vanitate huius argumenti Caluiniani, quo tamen maximè turgent.

Adde etiam hoc ipsorum vanitati. Dicunt quod omnes edere debent corpus Christi: Benè: Sed quare vicissim ex ijs, num corpus Christi pro omnibus sit traditum, adeò ut unusquisque corpus Christi edere debet pro ipso verè traditum? Hic capti narent: negant enim corpus Christi pro omnibus esse traditum: Si non pro omnibus traditum, nec etiam omnes, sed illi tantum sumere debent, pro quibus id traditum est. Vbi ergo obedientia, quam sumendo omnes praestare debent? Neque etiam fine decumana fallacia ex suis fundamentis asserere possunt, quod omnes debeant pœnitentiam agere: cùm ex opposito affirmant, plerosq; homines conditos esse à Deo ad perpetuam turpitudinem, in quibus eandem quoque Deus ipse quotidie efficiat & operetur.

Ergo omnia vana ficta & falsa quæ à caluinista hoc ad solutionem obiectionis sunt allata.

## CALVINIANI.

### Spiritualiter.

**N**on improbamus hanc vocem spiritualiter, si carnali & Capitali modo duntaxat opponatur. Nam sic intelligitur modus invisibilis, incomprehensibilis, & ineffabilis. Harpyis autem istis vox spiritualiter aliud significat, nempe rei, quæ ex intentione testatoris præsens est, exsolationem, & à verbo separationem.

tionem seu fugam ad occultas verboque oppositas specula-

tiones.

Quocirca hoc suo inuento de spirituali mandatione introdu-

cunt inanitatem Symbolorum. Hic spiritus, qui semper spiritua-

*Coruus.*

lia crepat, est coruus ille, qui extra arcam Dei, in qua se Deus nobis

patefecit, circumvolat, & Spiritualia nuncupat omnia illa, quæ

vago volatu extra Verbum & contra Verbum communisicitur &

crocitat. Subuolat hic Spiritus reliqua cœna & arca Testimoniij in

cælum, ut Christum spiritualiter quærat, quem apud verbum suum

in tergis contumeliosissime fastidit & contemnit.

## Fide.

**F**ides est huic Spiritui. 1. Quæ faciat omnia, adeò ut nihil à  
Deo factum sit, nisi fides faciat, ut factum sit: stupenda itaque Fides Calvini  
fraus committitur in voce hac, irridendi & abrogandi omnia ministerium  
quæ Deus fecit & instituit, ne saluum & incolume maneat obiectū  
fidei, quod versatur tantum in ijs, quæ D E V S pro nobis fecit &  
perfecit, imò eò omnia mahinatur, ut ex D E O nihil penitus sa-  
luti nostræ demonstretur.

2. Fides hæc Calviniana sese effert extra verbum & supra ver-  
bum & supra Deum ipsum, dominariquis vult pleno imperio in  
omnibus. Nam verbum & promissiones Dei huic spiritui nihil  
valent, sed extra verbum personat fidem, fidem. Quæ verò illa fi-  
des? Respondetur, hæc est: ubi hic spiritus sua habet insomnia, imò  
furias & cadauerosæ veteris Adami opiniones, & verbo ex dia-  
etro repugnantib; & est fides talis inuenta, quæ est ad extirpandum  
fidem veram. Nihil à Diabolo excogitari poterat tūm fraudulen-  
tius tūm pernicioſius.

3. Tametsi fidei omnia tribuant: hoc tamen artis illorum  
præcipue, ut per hanc nihil sinant homini coram communicari,  
sed speculationem tantum ex ea faciant rerum absentium. Et  
hic quidē in cœna Christū primū longissimè à cœna sua ablegat,  
eo alegato, tum dicunt fide accipiendum esse, nec prius tamen,

C 2                   quam

quam ad ipsum extra cœnam subuolauerimus in cœlum cœlorum altissimum. Nihil verò huic fidei demonstratum est aut obiectum in hac cœna ad credendum. Obiectum itaq; fidei ipsorum nihil est aliud, quam Apostasia à Deo & verbo ipsius: atq; hic regnat adoratio bestiæ et cultus Antichristi ultimi, & hic impletur character & nomen bestiæ x̄s. Apoc. 13. Quadrat enim et re et numero vox Amosæ.

## Corde & anima.

**C**or & animam intelligit id quod prius (spiritualiter) dixerant. Anima autem & cor licet ad salutarem acceptionem thesauri huius viuifci aperiri & illuminari debeant: attamen non sunt organa, quibus substantia Sacramenti absq; ministerio corporali sit accipienda. Nam sic legimus: Accepit panem, fregit & dedit eis, & dixit, Accipite, comedite hoc est corpus meum: Similiter peracta cœna accepit poculum, &c. Et dicit Lucas: Biberunt ex eo omnes. Hic certè requiritur os accipiens id quod edere iussit et bibere.

Admonēdum etiam hoc, distinctè & perspicuè esse docendum de duobus istis modis, altero dandi, altero accipiendi. **M O D U S D A N D I E S T:** Accepit Iesus Christus filius panem, fregit, dedit & dixit: Accipite, comedite **H O C E S T C O R P U S M E V M, Q V O D P R O V O B I S T R A D I T V R I** Dans est Christus, quicquid is dat, id virtute dat omnipotenti & veracissimè: et quicquid. **D I C I T** se dare, id ipsum dat, cuius etiam dati veritas et præsentia in dicto et Verbo eius consistit. Quicquid in cœna dat, tunc dat, cum pané dat: Dans panem **D I X I T;** Accipite, Comedite hoc est corpus meum. Dat in terris, Dat in cœna.

Concurrunt itaq; hic: Christus Iesus autor, dans: panis & corpus, vinum et sanguis, datum: Verbum dantis nunquam non plena omnipotentia verissimum, et plena veritate omnipotentissimum: locus dandi in terris: tempus in cœna: dato pane datur corpus, dato poculo datur sanguis. Hic est dationis modus. Alium quisquis comminiscitur, effert sc̄ se super omne quod Deus aut cul-  
tus.

tus dicitur, 2. Thes. 2. Et sedem facit blasphemiarum aduersus testamentum Christi. Quapropter modus dandi cum a testatore sit disertis verbis nuncupatus, fas non est cuiquam creaturæ alium subrogare.

Qui verò alium subrogare conantur, violant & perdunt h[ab]itamentum Christi, et insuper fidei suum verum auferunt & expellunt obiectum. H[ec] enim si vera et viua esse debet, ad illum ipsum modum, illamq[ue] modi veritatem, quo Christus dat, tanquam ad vnicū noscēt suū alimentum simpliciter astringenda est. Vnde etiam sequitur, quod Caluinistæ tanto Sacrilegio obnoxij, falso fidem hic iactent. Extrudunt enim fidei verum obiectum, & aliud quod ex se se finxerunt, plenum blasphemiarum & odij contra testamentū IESV Christi supponunt.

**M O D U S A C C I P I E N D I** itidem disertis verbis est **Modus acciupatus, ACCIPITE, COMEDIT E.** Modus itaq[ue] cipiendi est acceptio[n]is accipere & comedere. Atq[ue] istud accipere & comedere directè ad id, quod datur, refertur. Nam ad dantis verbum & præceptum, omnipotentia et veritate eius fulgidum et sacrosanctum modus iste accipiendi districte & vnicè alligandus est. Non ergo cor et anima tantam in modo acceptio[n]is, sed os quoq[ue] requiriatur, quod edat et bibat.

Idcirco quisquis id quod datur querit extra cœnam, aut extra panem, et in loco à terris remotissimo, aut in virtute Spiritus Sancti extra modum dandi ipsa institutione consecratum et certò limitatum, aut querit pro corpore corporis efficaciam; is istud accipere, aut isto frui non vult, quod dans dedit, atq[ue] ita summa cum perfidia adhærens pani tanquam nudo et vacuo symbolo et falsis imaginationibus oberrans de corpore Christi, reus fit corporis Christi, & sumit indignè, quamquam incredulitate sua, id quod datur, interuertere, aut partem à parte secludere non possit. H[ec] breuiter de vtroq[ue] modo, et dignissima notatu.

Adustarij modum dationis rarissimè in suo loco attingunt, & attacatum statim inuertunt atq[ue] abolent, illo quem finxerunt modo acceptio[n]is. Nam cum istum ad captum rationis suæ librarunt et contraxerunt, tum demum de datione aliquid loquuntur, securè & valde securè tunc disputantes, quidnam et quantum et quomodo

Christus dare potuerit: Quicquid rationi eorum in accipiendo non quadrat, plenis id blasphemant buccis, & insuper ipsum in manu dantis primò falsitatis argunt, deinde palam etiam pernegerant, & extirpare conantur. Verum si dationis modum primo loco ponerent, & sancte obseruarent, ut à Christo est monstratus, ultra omnis ille præposterus, & contumeliosus in Christum sumptionis modus corrueret, & pax fieret in Ecclesia.

Ex omnibus autem liquidissimè constat, quod eò incumbant, omni errorum suorum vi, ut omnipotentiam & veritatem Christi abnegent, quod faciunt astutissimo hoc ordine, ut primò tradant quid & quantum & quomodo iuxta rationis nostræ intelligentiam accipere possimus: Hac mensura facta, iam Christo Iesu filio Dei præscribunt, quid, quantum, & quomodo dare possit. Et deinde nulla opus habent fide in isto Sacramento.

## Hoc testantur Sacræ literæ.

Contrarium testantur sicuti iam demonstratum.

## Obiectio: At hoc Zuinglia= num & Caluinianum?

**V**erissimè: Zwinglius & Caluinus in hoc differunt, quod Caluinus crassam Zwinglii hæresin stylo politiori vendibiliorem reddidit.

Imò Christianum, quia habemus certam promissionem: per fidem Christus inhabitat in cordibus nostris.

Nob

**N**on quouis promissio est huius Sacramenti propria, sed illa solum, quam Christus nuncupauit. Atq; hic sonantissimè sonant verba premissionis seu Legati in isto testamento. Accipite, comedite, hoc est corpus meum.

Deinde locus, qui allegatur, non loquitur de promissione praestanda, sed præstite promissionis effectu & euentu. Euentus autem rei & promissio differunt: Habitare in cordibus nostris est euentus seu effectus, quo iam Christo fruimur. Promissio autem testamenti est, que promittit Christum fruendum. Quapropter locus citatus huc non quadrat. Adhac testamentum non dat rem iam antè legitimè possessam, sedius dat ad possidendum rem aliam quam. Locus allegatus est de re que postidetur. Deniq; non sequitur (ut tacite author hic inferre vult.) Christus inhabitat in cordibus nostris: Ergo in cena præter panem & vinum nihil datur.

Præterea sarcasticè illuditur Ecclesia, cum sic concludunt: Christi corpus in cena præsens non datur, sed significatur tantum absens: Ratio, quia per fidem habitat in cordibus nostris. Imò quomodo ibi habitaret, si absentissimus, & quous absente absentior à nobis est, ut illi docent? Neq; etiam hoc est habitare in cordibus, quando cogitamus de eo, sed cum semet nobis infundit vita & lumen sua, suiq; nos per fidem participes facit.

Sí valeret consequentia, eadem collectionis vi dicerem: non habitat in cordibus nostris, quia scriptura alibi dicit, Eum ascendisse in cœlum, sedere in throno Dei, & ipsi addunt, cœlo eum esse captum usq; ad nouissimum diem. Si captus est, elici & liberari à captiuitate fide nostra non poterit, ut habitat in cordibus nostris: aut si ibi habitet, eiusdē argumenti vi concludi potest, quod non sit in cœlo.

Sic enim illi argumentantur: In cordibus nostris habitat: Ergo non est in cena. Itemq;, In cœlo est: Ergo in cena non est. Et quid opus, ut in cordibus nostris habitet, cum negent ipsius in terris præsentiam, postquam in cœlum ascendit, quicquam prodeesse.

Solis

## Solis fidelibus.

**F**Alsum. *¶ Quia institutio testamenti manifestè reclamat.*  
**2.** Si à fidelibus tantùm sumitur corpus Christi, quæritur, quænam numero et sensu fidelium habeant? Num hos qui credunt Christum adesse? At hoc credendum negant. Num verò hos, qui eum abesse credunt? At isti nullam habent promissionem de absentiâ Christi aut de sumtione absentis corporis Christi. Vnde sit, ut neutra ex parte fideles constitui possint. Si ergo à fidelibus tantùm accipitur corpus Christi iuxta Calvinianâ assertionem & iuxta eiusdem principia, nolli sunt fideles; Sequitur, quod à nemine iuxta horum sententiam corpus Christi sumatur.

## Quia Christus illis promissus.

**O**Misit voculam exclusuam (solis,) quæ tamen ex coherentia verborum facilè subintelligitur. Nam sectæ est huius doctrina, quod Christus nec missus nec exhibitus sit omnibus sed aliquibus tantùm. Contrarium lege Gen. 3. 12. & 22. Esaiæ 53. Luc. 2. Ioan. 1. & 3. Ioan. 2. 1. Tim. 2. 2. Cor. 5. &c. Hic aduersarij totum abnegant Euangelium.

Si verò non est missus omnibus nec promissus, quis quæreret eū in cœna? Quid crederet homo accedens ad cœnam? Non enim participatione cœnæ efficiet, ut Christus sibi promissus sit, sed oportet præcessisse prius, quod sit promissus, ut in cœna homo fretus promissione eum accipere possit. Quantū verò hoc ludibrium, quoddicunt, solis credentibus esse promissum Christum? Perinde est enim ac si dicerent, qui conuiuij dapibus fruitur, huic est conuiuum promissum. Evidem hoc ex consequente est verum, sed respectu antecedentis, antequam conuiuio accumbatur, quæ spes & quæ promissio famelicis & quærentibus, (num sibi quoq; aliquid destinatum,

natum sit & appositum) aperta est, vt ausint ad participationem conuiuij accedere? Quapropter manifestum, quicquid Calvinistæ de fidelibus loquantur, meras & sardonicas esse nugas.

## Est testamentum: Ergo bona hæredibus.

**A**POCOPTICUS impostor mutilus hic est loquendo: quod ideo fecit, vt sua verba huc illuc flectere possit. Sin plenam posuisset periodum, suam illicò in apricum protulisset impietatem. Poterant autem aliqui semiplena haenuntiatione cogitare, quod istud vellet dicere: Est testamentum: Ergo bona sunt instituta, & nuncupati, qui hæredes eorum esse debeant. Hoc si vellet, nihil mali esset in hac consequentia. Hanc autem consequentiam in suspenso relinquit, & clām aliam molitur, quæ talis est: Testamentum est: Ergo nemini sunt legata bona, nisi possidentibus eas. Negatur hic consequentia: quia testamentum non refertur ad bonam iam legitimè possessam, neq; etiam absolutam habet necessitatem ad euentum possidendi, adeò vt scripti hæredes non possint non hæreditatem possidere: Sed quod in alijs testamentis sit, hīc quoq; similiter vsuvenit, vt multi illam hæreditatem spernant & rejiciant. Aliud itaq; est esse institutum aliquem hæredem, ad quem ius hæreditatis adeundæ pertineat: Aliud hæreditatem vsu possidere: Sicut ea de re Paulus quoq; differit, Gal. 4. Ius enim pertinet ad omnes: Possessio solorum est credentium. Qui credit habet itam æternam, Ioan. 3.

Quare si non volumus errare,  
contineamus nos intra can-  
cellos verbi Diuini.

D

Palpa.

**P**Alpabilis fucus. Nam glossas, opiniones, cogitationes, sputa & ronchos hominum obloquentium Deo verbi Diuini pingit titulo. Blasphemia hæc est summa: Ex qua Antichristus & monachia imperaturo occidentali Ecclesiæ nidus struitur, ut sedere possit in templo Dei.

## Raptim.

**S**ine dubio à vaferimo & ad decipiendum versutissimo artifice istud ex mendacijs & fraudibus consutum Diagramma excogitatum est. Hæc autem ideo subiecta est clausula, ut callidi Venatoris strophæ eò minus essent conspicuæ aut suspectæ.

FINIS EXPLICATIO  
nis & Confutationis.

## DIAGRAMMA A LVTERANO COMPOSITVM.

Christus Iesus Filius Dei vnigenitus instituit testamentum.  
Veritas is est, Ioh. 14. & Potentia Dei. 1. Cor. 1.

Instituit Sic:

**C**hristus Iesus accepit panem, benedixit, fregit & dedit eis, dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in mei commemorationem. Similiter & poculum postquam cœnasset, dicens: Hoc poculum est nouum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur: Hoc facite, quotiescumq; biberitis, in mei commemorationem.

Diui-

# D I V I D V N=

## tur Sententiae.

### A L I I .

Omnibus vescientibus in cœna distribui  
verum corpus et sanguinem Iesu Christi: crea-  
dunt enim verbis testatoris simpliciter, ut  
in litera sonant.

### F U N D A M E N T A .

Verba testamenti.

Testamentum confirmatum morte te-  
statoris.

Testatoris veritas et omnipotentia.

Poculum benedictionis, cui benedicimus,  
nōnne communicatio sanguinis Christi est?  
Panis quem frangimus, nōnne communica-  
tio Christi est, 1. Cor. 10.

Indignè sumentes sunt rei corporis et  
sanguinis Christi, 1. Cor. 11.

### M O D V S .

Dandi: Accepit panem, dedit, DIXIT.  
hoc est corpus meum.

Accipiendi: accipite, comedite, bibite:  
Obiectio: At in cœlum ascendit. Resp. Iux-  
ta sorœœ cœli, quæ propria sunt alterius  
seculi, ubi nulla locorum et temporum  
buius seculi dimensio est, fieri potest, ut  
corpus Christi in terra detur. Alia enim  
sorœœ alterius, alia huius seculi, et cœ-  
lestium presentia mundi huius elementis  
et localitate intercludi aut impediri non  
potest.

### A L I I .

Non quod verba sonant tenendum: sed si-  
gnificari corpus, ex non exhiberi aut distri-  
bui: Memoriam esse corporis absentis, nec  
sumi ab omnibus in cœna. A nemine nisi  
fide sumi.

### F U N D A M E N T A .

Christus Iesus captus est cœlo, quāquam  
ibi ei liceat sedere et ambulare.

Non est omnipotens, ut id præstare pos-  
sit, quod verba sonant.

Caro Christi prodest nihil:

Non opus est aliqua Christi communica-  
tione in terra.

Non omnes credunt.

Alicubi est exponi per S I G N I F I-  
E C A T : ergo hic quoq;

### M O D V S .

Fide euolandum extra cœnam, et extra  
symbola in cœlum. Hunc modum dicunt es-  
se accipiendi corpus Christi, quod absentissi-  
mum semper maneat. Dandi modum af-  
firmanter spiritui Sancto, qui det cordibus in

H terris. Vbi iam notabis, quod horum sen-  
tentia detur in terris corpus, quod eorum  
dem sententia non accipitur in terris, sed  
tantum in cœlo. Sunt contraria.

Obiectio: Verba cœne cōtrarium habēt.  
Respondēt, sunt illa interpretāda iuxta  
Metonymiam, ita ut in cœna nihil edatur  
quām panis, et nihil bibatur quām vinum.

S V M .



## S V M M A.

Christum nostram esse vitam, & idcirco  
hanc cœnam instituisse, ut in nobis viuat. F

Totum se dat, ut omnis perfectio salutis I  
ex ipso solo, in quo est plenitudo, sit in nobis. L

Cum corpore & sanguine suo omnia dat I  
quæ ad Salutem nostram pertinēt, tūm se I  
ipsum, tūm quicquid pro nobis effecit.

Caro & Sanguis ἐκ Λόγῳ uiuificam D  
habent uim nos saluandi. E

Gratiam esse habendam, quod se nobis I  
dat, & beneficium hoc nulla curiosa dubi-  
tatione eneruandum esse.

## S V M M A.

Nihil dari in cœna præter elementa.

Christum non querendum, ubi se nobis  
exhibit, sed querendum extra verbum.

In cœna nec dari, nec accipi, ubi uerbum  
est.

In cœlo accipi, ubi nullum verbum est  
promissionis.

Præsentiam flatuere aut nullam aut ab-  
sentissimam, quod idem est.

Per fidem Christum dari.

Carnem à Λόγῳ nullā babere vim uiu-  
ficam. Ideo etiam non prodeſſe.

## I N E X T R E M O I V D I C I O.

Ego credidi simpliciter uerbo testamenti  
tui, fretus ueritate & potentia tua, &  
unanimi testimonio trium Euangelistarum  
• Dini Pauli.

Ego credidi sapientie ingenij humani &  
impotentem te iudicavi ad præstandum  
tantum promissum. Ideoq; etiam uerbo tes-  
tamenti tui fidere & insistere nolui.

D.

F I N I S.

AB: 153560



Sb

103.





# Farbkarte #13



# EXPLICATIO ET CONFUTATIO CAL- VINIANI ET FRAVDV- LENTISSIMI DIA- GRAMMatis.

De Controuersia in cœ-  
na Dominica,

S V B I V N C T V M E S T E I E X O P -  
P O S I T O L V T H E R A N V M  
D I A G R A M M A .

Samuel Huberus, D.

## 2. Cor. 11.

Nam eiusmodi Pseudapostoli, (vt sunt Celuinistæ) operarij dolosi sunt,  
transformati in Apostolos Christi. Et non mirum: Ipse enim  
Satanas transformatur in Angelum lucis. Non ma-  
gnum igitur si Ministri illius personam in se  
transferunt, quasi sint Ministri iustitiae.  
Quorum finis erit iuxta  
opera eorum.

V R S E L L I S,  
Excudebat Nicolaus Henricus  
Anno 1599.

